



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae**

**Schnorrenberg, Anno**

**Coloniae, 1740**

LXXXVII. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

REGULA LXXXVII.

*Infamibus porta non pateant Dignitatum.*

**Q**uæres primò, Quis hujus Regulæ sensus ?

ꝛ. Personæ Juris aut facti infamiâ notatæ ad Dignitates & munia honorifica non sunt admittendæ. Ratio est: quia ex infamiâ probro in animis hominum nascitur contemptus, ita, ut ex promotione infamium ad Dignitates & honores, non tam honorentur infames, quàm infamentur honores, ideo Justinianus Imperator L. 2. C. de Dignitat. inquit: *neque famosis & notatis, & quos scelus aut vita turpitudine inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, Dignitatis porta patebunt.* Et rectè quidem, cum Spiritus S. per os sapientis dicat: *quis honorificabit ex honorantem animam suam.* Ecclesiast. 10. v. 32.

Quæres secundo. Quæ juris & facti dicitur infamia ?

ꝛ. Fama est existimatio, quam homines de aliquo habent, si sit existimatio boni, vel homines aliquem bonum communiter esse judicent, bona fama vocatur, si malum vel impium homines existiment, infamia nuncupatur. Hæc in juris & facti dividitur

infamiam. Juris infamia est, quæ à Jure vel Canonico vel civili irrogatur, quod fit, quando Leges vel Canones aliquem infamem declarant, vel dignum, ut de illo mala habeatur existimatio, licet fortè apud viros bonos ejus opinio actu non fuerit gravata, quod dupliciter contingere potest: 1mo. Dum Lex vel Canon immediatè, seu non mediante Judicis Sententiâ aliquod illicitum notat infamiâ, & tunc ut incurratur infamia, non est necessaria Judicis Sententiâ, quamvis enim delictum per Judiciale Sententiam declaretur, ipso tamen facto, quo quis in tali delicto deprehenditur, est infamis, ut exercens lenocinium, in adulterio deprehensus &c. 2do. Infamia juris est, quando factum aliquod vel personam facientem non quidem immediatè Lex vel Canon, sed Judicis Sententiâ contra Canonem vel legem delinquentem notat infamiâ, ut si lex dicat: qui rapinam, furtum, injuriam vel dolum fecisse judicatus seu condemnatus fuerit, sit infamis. Huc infamia juris per quasi Sententiam reducitur, ut si quis de

crimi-

crimine infamante accusatus vel denuntiatus illud in Iudicio sit confessus, aut de eo convictus. Infamia facti est, dum quis apud bonos & graves viros malè audit, licet illi à Jure vel ex Legibus nulla infamia irrogetur.

Quæres *tertio*. An infamis extra locum diffamationis ad honorifica Officia promoveri valeat?

R. Infamis non solùm in loco, in quo infamia contracta, aut per sententiam est illata, verum nec in alio quovis loco promoveri potest. Ratio est :

sicut enim lepra sequitur leprosum quocunque ierit & sicut is, cui membrum mutilatum est, mutilum membrum ubique secum defert, & sicut excommunicatus in uno loco ubique est excommunicatus, ita sententia hominem infans (idè est de infamans facti) ubique locorum eum infamat, cum infamia personam afficiat, eamque velut individuus Comes subsequatur, unde testis in uno loco infamis in quocunque Iudicio justam patitur repulsam.

